

ITEM EPISTOLA SANCTI CLEMENTIS PAPAE SCRIPTA DISCIPULIS SUIS, QUI MAIORUM HOMINUM PERSUASIONIBUS ALIQUATENUS DEVIARUNT, ET HIS ATQUE GENTIBUS, INTER QUAS HABITABANT, DIRECTA.

5 CLEMENS ROMANAE urbis episcopus karissimis fratribus Iulio et Iuliano ac 1  
reliquis consodalibus nostris gentibusque, quae circa vos sunt.

Oportet, fratres, omnes doctores, qui ad salutem animarum instituti sunt et ad 2 | 17r  
lucrandas animas episcopi sunt consecrati, pro cunctis sollicitudinem gerere et  
errantes ad viam veritatis et ad portum salutis reducere. Et licet propter gentes,  
10 quae circa vos sunt, in modico vos errasse contigerit, melius tamen redire ad  
veritatis viam quam diutius in ipso errore perdurare. Quoscumque enim de his,  
qui vos errare fecerunt, vel de his, qui adhuc verbum praedicationis non  
audierunt, potestis, vobiscum assumite et ad viam veritatis reducite, ne  
infructuosi domino inveniamini.

15 Et quoniam quidem, sicut cultore neglecta terra spinas et tribulos necessario 3  
producit, ita sensus vester longi temporis incuria multas et noxias opiniones  
rerum et intellegentias falsae scientiae germinavit, opus est nunc multa diligentia  
ad excolendum vires mentis vestrae, ut hic sermo veritatis, qui est verus et  
diligendus cordis colono, assiduis excolet disciplinis. Vestrum ergo est praebere  
20 oboedientiam et occupationes ac sollicitudines superfluas amputare, ne bonum  
verbi semen enecet noxium germen. Potest enim fieri, ut multi temporis  
neglegentiam brevis et assidua reparat diligentia. Incertum namque est  
uniuscuiusque vitae tempus, et ideo festinandum est ad salutem, ne forte  
25 cunctantem mors repentina praeveniat. Et ob hoc acrius innitendum est, ut, dum  
est temporis spatium, collecta malae consuetudinis vitia resecentur. Quod non  
aliter facere poteritis, nisi, ut irascamini quodammodo adversum vosmetipsos,  
pro his, quae inutiliter gessistis ac turpiter. Haec enim est utilis vita et necessaria  
iracundia, ut unusquisque in his, in quibus erravit et perperam gessit, indignetur  
et semetipsum accuset. Ex qua indignatione accenditur in nobis ignis quidam, qui  
30 velut agro sterili inmissus, consumptis et excoctis radicibus pessimae voluptatis,  
bono semine verbi dei fecundioem cordis praeparat glebam. Puto autem, quod  
satis dignas habeatis causas iracundiae, e<x> quibus iustissimus ignis iste  
coalescat, si consideretis, in quantos vos errores deduxerit ignorantiae malum,  
quantosque lapsus et quanta praecipitia ad peccandum dedit, a quantis vos bonis  
35 abstraxit, et in quae precipitavit mala, et, quod est super omnia gravius, quod vos  
in futuro saeculo aeternis paenis obnoxios fecit. Nonne pro his omnibus, ubi  
vobis veritatis lumen effulsit, ignis iustissimae indignationis accenditur et  
iracundiae deo placitae intra vos consurgit incendium, quo consumatur et  
radicitus intereat omne germen, sicut forte intra vos male concupiscentiae  
40 pullulavit?

Unde et ipse, qui misit nos, cum venisset et omnem mundum vidisset ad  
malitiam declinasse, non continuo ei pacem in erroribus posito dedit, ne eum  
confirmaret in malis, sed ignorantiae eius ruinis scientiam veritatis opposuit, ut,  
si, qui forte resipiscerent et lumen veritatis aspicerent, deceptos se et in

18 vires] corr. from vis V. 19 diligendus] corr. from diligens V. 25 resecentur] corr. from recensentur  
V. 32 ex] codd.; et V.

15–175 quoniam ... observetur: Clem. I., Rec. VI, 2, 2–12, 1 (REHM/STRECKER, GCS p. 188 l. 1–p. 194 l. 18).

praecipitia erroris abstractos merito dolerent et iracundiae salutaris ignem 45  
 adversum deceptricem suam conciperent ignorantiam. Ob hoc itaque dicebat:  
 Ignem veni mittere in terram, quem volo, ut accendatur. Est ergo pugna  
 quaedam, quae gerenda nobis est in hac vita. Sermo enim veritatis et scientiae  
 necessario separat homines ab errore et ignorantia, sicut saepe videmus  
 putrefactas et emortuas corporis carnes a conexione viventium membrorum ferro 50  
 secantis separari. Tale ergo aliquid est, quod ait veritatis agnitio. Necesse est  
 enim, ut salutis causa filius, verbi gratia, qui sermonem receperit veritatis a  
 parentibus separetur incredulis aut rursus pater separetur a filio aut filia a  
 matre. Et hoc modo inter propinquos et consanguineos credentes atque  
 incredulos scientiae atque ignorantiae veritatisque et erroris pugna consurgit. Et 55  
 ob hoc iterum dicebat, qui nos misit: Non veni pacem mittere in terra, sed  
 gladium. Quod si dicit aliquis: Et quomodo iustum videtur separari filios a  
 parentibus? Audi quomodo: quia, <si cum> ipsis in errore permaneant, neque  
 illis proderunt, et ipsi cum illis pariter interibunt. Iustum igitur et valde iustum  
 est separari eum, qui salvari vult, ab eo, qui non vult. Sed et illud adverte, quia 60  
 non ex illis, qui rectius intellegunt, venit ista separatio.— illi enim volunt esse  
 pariter et prodesse his et docere meliora.— sed est istud proprium ignorantiae  
 vitium, ut confutantem se veritatis lucem non ferat habere de proximo, et ideo ex  
 illis ista nascitur separatio. Nam qui scientiam veritatis accipiunt, quia bonitatis  
 plena est, tamquam a bono deo datam cupiunt eam, si fieri potest, cum omnibus 65  
 habere communem, etiam cum his, qui oderunt eos et persequuntur. Sciunt enim,  
 quia peccatum ipsorum causa ignorantiae est. Propterea denique ipse magister,  
 cum ab his, qui ignorabant eum, duceretur ad crucem, orabat patrem pro  
 interfectoribus suis et dicebat: Pater, dimitte his peccatum, nesciunt enim, quid  
 faciunt. Imitantes quoque discipuli magistrum, etiam ipsi, cum paterentur, 70  
 similiter pro interfectoribus suis orabant. Quod si disciplina nobis est orare  
 etiam pro interfectoribus et persecutoribus nostris, quomodo non etiam parentum  
 et propinquorum persecutiones ferre et pro conversione eorum orare credimur?  
 Tum deinde etiam illud diligentius consideremus, quae sit nobis causa parentes  
 diligendi. Pro eo, inquit, quod vitae nostrae videntur auctores. Auctores quidem 75  
 vitae nostrae parentes non sunt, sed ministri. Non enim vitam praebent, sed  
 ingrediendi nobis ad hanc vitam exhibent ministerium, auctor autem vitae unus et  
 solus est deus. Si autem auctorem vitae diligere volumus, illud nobis esse  
 diligendum sciamus. Sed illum, inquit, cognoscere non potuimus, istos autem et  
 novimus et in affectu habemus. Esto, non potuistis cognoscere, quid sit deus, qui 80  
 tamen non sit deus, perfacile scire potuistis. Nam quomodo latere potuit  
 hominem, quod lignum aut lapis aut aes vel alia huiusmodi materia non sit?  
 Quod si in his, quae facile deprehendere potuistis, animum ad discutiendum  
 noluistis intendere, certum est, quia et in agnitione dei impediti estis, non  
 impossibilitatis sed ignaviae vitio. Nam, si voluissetis, ex his ipsis utilibus 85  
 simulachris profecto accepissetis intellegentiae viam. Certum est, quia per  
 ferrum facta sunt simulachra, ferrum vero per ignem confectum est. Qui ignis  
 aqua extinguitur, aqua autem per spiritum movetur, spiritus autem a deo initium

55 erroris] *corr. from erroribus V.* 58 si cum] *codd.; cum si V.* errore] *\*errore V.* 60 adverte] *corr. from*  
*averte V.* 62 est] *corr. from et V.* 73 credimur] *corr. from credimus V.* 79 diligendum] *corr. from*  
*diligentium V.*

47 Ignem ... accendatur: *cfr Luc. 12, 49.* 56–57 Non ... gladium: *cfr Matth. 10, 34.* 69–70 Pater ...  
 faciunt: *cfr Luc. 23, 34.* 70–71 etiam ... orabant: *cfr Act. 7, 59* 71–72 orare ... nostris: *cfr Matth. 5, 44.*

90 *habet. Sic enim dicit Moyses propheta: In principio fecit deus caelum et terram. Terra autem erat invisibilis et incomposita et tenebrae erant super faciem abyssi, et spiritus dei erat super aquas. Qui spiritus iussu dei quasi ipsa conditoris manus lucem separavit a tenebris, et post illud invisibile caelum istud visibile produxit, ut superiora quidem habitaculum faceret angelis, inferiora vero hominibus. Propter vos iussu dei aqua, quae erat super faciem terrae, secessit, ut*  
 95 *terra vobis produceret fructus. Cui etiam humorum venas latenter inseruit, ut vobis ex ea profluerent fontes et flumina. Propter vos producere iussa est animantia et omnia, quae vestro usui voluntatique servirent. Aut non propter vos venti spirant, ut ex ipsis concipiens fructus vobis terra parturiant? Non propter vos imbres profluunt et tempora vicissitudines mutant? Non propter vos sol*  
 100 *oritur et occidit, et mutationes luna perpetitur? Propter vos mare exhibet famulatum suum, ut vobis ingratias cuncta subiaceant. Nonne pro his omnibus iusta erit ultionis poena, quia horum omnium largitorem, quem ante omnia et agnoscere et venerari debuistis, solum prae ceteris ignoratis? Sed et nunc idem vos adhuc in intellegentiam eis duco. Videtis etenim, quod omnia gignuntur ex*  
 105 *aquis, aqua vero per unigenitum ex initio facta est, unigeniti vero omnipotens deus caput est, per quem tali ordine, ut supra diximus, pervenitur ad patrem. Cum autem perveneritis, agnoscite hanc esse voluntatem eius, ut per aquas, quae primae creatae sunt, denuo renascamini. Qui enim regeneratus fuerit per aquam, bonis operibus repletus haeres efficitur eius, a quo in incorruptione regeneratus*  
 110 *est. Propter quod paratis animis accedite quasi filii ad patrem, ut peccata vestra diluantur et causa eorum sola ignorantia fuisse probetur apud deum. Nam, si post agnitionem horum permanetis in incredulitatem, vobis iam perditionis vestrae causa et non ignorantiae reputabitur. Nec putetis, quod, etiam si omnem pietatem colatis omnemque iustitiam, baptismum vero non accipitis, spem possitis habere apud deum, immo maiore poena digni eritis, qui bona opera non bene operati estis. Confertur enim meritum homini ex bonis gestis, sed si ita gerantur, sicut deus iubet. Deus autem iussit omnem colentem se baptismo consignari. Quod si vos renueritis, ut vestrae voluntati magis quam dei obtemperetis, contrarii sine dubio et inimici estis voluntati eius. Sed dicitis fortasse: Quid*  
 120 *confert aquae baptismus ad dei cultum? Primo quidem, quia, quod deo placuit, impletur. Secundo, quia regenerato ex aquis et deo renato fragilitas prioris nativitatis, quae vobis per hominem facta est, amputatur, et ita demum pervenire poteritis ad salutem, aliter impossibile est. Sic enim nobis cum sacramento verus propheta testatus est dicens: Amen, dico vobis, nisi quis denuo renatus fuerit ex*  
 125 *aqua viva, non introibit in regnum caelorum. Et ideo accelerate. Est enim in aquis istis misericordia eius quaedam, quae ex initio ferebatur super eas, et agnoscit eos, qui baptizantur sub appellatione triplicis sacramenti, et eripit eos*  
 130 *de suppliciis futuris quasi donum quoddam offerens deo animas per baptismum consecratas. Confugite ergo ad aquas istas, solae sunt enim, quae possint vim futuri ignis extinguere. Ad quas, qui moratur accedere, constat in eo infidelitatis*

18r

90 incomposita] *corr. from composita V.* 100 luna] *corr. from lune V.* 103 solum] *add. in marg. V.* 104 in] *add. in marg. V.* eis] *over line: vel eius V.* 118 ut] *corr. from et V.* 120 aquae] *corr. from quae V.*

89–91 In ... aquas: *Gen. 1, 1–2; 90 faciem abyssi has been normalised to the Vulgate; cfr Clem. I, Rec. VI, 7, 3 (REHM/STRECKER, GCS p. 191 l. 6): super abyssum.* 103–104 Sed ... duco: *Pseudo-Isidore's source Ms. appears to have been corrupted here; cfr Clem. I, Rec. VI, 8, 1 (REHM/STRECKER, GCS p. 191 l. 20f.): Sed et nunc eisdem vos adhuc ad intellegentiam viis duco ...* 105–106 unigeniti ... est: *cfr I. Cor. II, 3.* 124–125 Amen ... caelorum: *Ioh. 3, 5; cfr Ioh. 4, 10.*

*adhuc idolum permanere et ab ipso prohiberi ad aquas, quae salutem conferunt, properare. Sive enim iustus, sive sit iniustus, baptismum per omnia necessarium est, iusto quidem, ut adimpleatur in eo perfectio et regeneretur deo, iniusto vero, ut peccatorum, quae gessit, remissio concedatur.*

- 4 *Omnibus ergo festinandum est sine mora renasci deo et demum consignari ab episcopo, id est septiformem gratiam spiritus sancti percipere, quia incertus est uniuscuiusque exitus vitae. Cum autem regeneratus fuerit per aquam et postmodum septiformi spiritus gratia ab episcopo, ut memoratum est, confirmatus, qui aliter perfectus esse christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria aut voluntate remanserit, ut a beato Petro accepimus, et ceteri sancti apostoli praecipiente domino docuerunt, et demum ex operibus bonis ostendat in se similitudinem eius, qui eum genuit, patris.* 135
- 5 *Post haec vero agnoscat deum honorare, honor autem eius, ut ita vivat, sicut ipse vult. Vult autem unumquemque ita vivere, ut homicidium et adulterium nesciat, odium et avaritiam fugiat, iram, superbiam, iactantiam respuat et excretur, invidiam quoque et cetera his similia penitus a se ducat aliena. Est sane propria quaedam nostrae religionis observantia, quae non tam imponitur hominibus, quam proprie ab unoquoque deum colente causa puritatis expetitur. De castimoniae dico cautela, cuius species multae sunt. Sed primo, ut observet unusquisque, ne menstruatae mulieri misceatur, hoc enim execrabile ducit lex dei. Quod et si lex de his non admonuisset, nos libenter volveremur in stercore. Debemus aliquid amplius habere animalibus utpote rationabiles homines et caelestium sensuum capaces, quibus summi studii esse debet ab omni inquinamento cordis conscientiam custodire. Bonum est autem et puritati conveniens etiam corpus aqua diluere. Bonum vero dico non quasi principale illud, in quo mens purificatur, sed quod sequela sit illius boni hoc, in quo caro diluitur. Sic enim et magister noster quosdam fariseorum et scribarum, qui videntur esse ceteris meliores et a vulgo separati, increpabat dicens eos ypocritas, quia ea solummodo, quae hominibus videbantur, purificabant, corda vero, quae solus deus aspicit, inquinata relinquebant et sordida. Ad quosdam ergo ex ipsis, non ad omnes, dicebat: Vae vobis, scribae et pharisei hypochritae, quia mundatis calicis et parapsidis, quod deforis est, intus autem plena sunt sordibus. Pharisee caece, munda prius, quod intus est, et, quod deforis est, erit mundum. Vere enim si mens mundetur luce scientiae, cum ipsa fuerit munda ac splendida, tunc etiam eius, qui deforis est, hominis ipsa necessario curam gerit, id est carnis suae, ut et ipsa purificetur. Ubi autem ista, quae deforis est, purificatio carnis negligitur, certum est neque de puritate mentis ac mundicia cordis curam geri. Ita ergo fit, ut is, qui intrinsecus mundus est, mundetur sine dubio et extrinsecus, non semper autem is, qui mundatur extrinsecus, etiam intrinsecus mundus est, videlicet cum agit haec, ut hominibus placeat. Sed et illa species castimoniae observanda est, uti ne passim et libidinis solius causa feminis coeatur, sed posteritatis reparandae gratia, quae observantia, cum etiam in* 140 145 150 155 160 165 170

131 conferunt] *add. over line V.* 144 haec] *corr. from hac V.* 149 expetitur] *corr. from expeditur V.* 153 Debemus aliquid] *in marg.:* Quod bonum sit ab omni inquinamento cordis conscientiam (*sic*) custodire et quod bonum sit etiam corpus aqua diluere *V.* 170 is] *corr. from his V.*

135–142 et ... demum: *The source discusses only baptism; cfr Clem. I, Rec. VI, 9, 4 –10, 1 (REHM/STRECKER, GCS p. 193 l. 6–9).* 151–152 ne ... dei: *Lev. 15, 24; 18, 19.* 162–165 Vae ... mundum: *Matth. 23, 25–26.*

175 *nonnullis pecudibus inveniatur, pudoris est, si non ab hominibus rationabilibus et deum colentibus observetur.*

Ergo *omnes peccaverunt et egent auxilio dei*. Propter quod, karissimi, *sectamini semper caritatem et aemulamini meliora et spiritalia*, et adiuuate vos invicem, ut deo semper in omnibus placere valeatis. Amen. 6

176 auxilio] *corr. from axilio V.* 177 aemulamini] aemulamini\* V.

176 omnes ... dei: *Rom. 3, 23.* 177 sectamini ... spiritalia: *I. Cor. 14, 1.*